

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Iusticia et iustus x  
cum fonte primo

Cur fere omnes coniugia Lye  
abhorrent et in amplexus Rachel  
tantum suspirant? Quia perfecta iusticia  
iubet inimicos diligere, parentes; propria  
queque relinquere, illata mala patienter  
ferre, oblatam gloriam ubique declinare.  
Sed ab huius mundi amatoribus quid  
stultius, quid laboriosius esse reputatur?  
Hinc est quod ab eis Lya et lyppa  
creditur et laboriosa uocatur.

Ricardus libro de contemplacione.

Quaerendum namque est,  
cur fere omnes coniugia Liae tantopere  
abhorreant, qui in amplexus Rachel  
tantum suspirant? Perfecta iustitia  
iubet inimicos diligere, parentes; propria  
quaeque relinquere, illata mala patienter  
ferre, oblatam gloriam ubique declinare.  
Sed ab huius mundi amatoribus, quid  
stultius, quid laboriosius esse reputatur.  
Hinc est quod ab eis Lia, et lippa  
creditur, et laboriosa vocatur.

Ricardus de Sancto Victore, *De  
praeparatione animi ad  
contemplationem liber dictus Benjamin  
minor*, 2 (PL 196, col.2B-C).